Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

Bibliographische Daten

Titel: Aristoteles – Nürnberg, STN, Cent. IV, 1
Signatur: Cent. IV, 1

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

ut equus canis homo unum quid quia omnia animalia. Et modo ita similiter materia una. Hec autem quandoque quidem ita unum dicuntur, quandoque vero genere superiore quod idem dicitur. Si sunt ultime species generis superiores his, ut ysosceles et ysopleuros eadem et una figura quia utraque trianguli, sed trianguli non idem.

Amplius autem unum dicuntur quorumcumque ratio que quid erat esse dicit indivisibilis est ad aliam significantem quid erat esse rem. Ipsa namque erat secundum se omnis ratio indivisibilis. Sic enim augmentatum et diminutum unum sunt, quia ratio una, sicut in superficiebus que speciei una.

Omnino vero quorum intellectus intelligens indivisibilis quid erat esse et non potest separari nec tempore nec loco nec ratione, maxime hec unum et horum quecumque substantie. Universaliter enim quecumque non habent divisionem non quantum sic unum dicuntur, ut si inquantum homo non habet divisionem unus homo, si vero inquantum magnitudo una magnitudo. Plurima quidem igitur unum dicuntur per alterum aliquid facere aut pati aut habere aut ad aliquid esse unum.

Que autem primo dicuntur unum, quorum substantia una. Una vero aut continuatione aut specie aut ratione. Etenim numeramus ut plura aut que non continua aut quorum non una species aut quorum ratio non una.

Amplius autem est quidem ut quodcumque unum continuatum esse et idem dicimus esse si sit quantum et continuum; est autem ut non, si non aliquod totum sit, hoc autem si non speciem habeat unam, ut non audientes utique dicimus.

Similiter unum qualitercumque partes compositas calciamenti nisi propter continuitatem; sed si sic ut calciamentum sit et speciem habeat aliquam iam unam.

Quapropter et que circuli maxime una linearum, quia tota et perfecta est.

Uni vero esse principium alicui est numero esse. Prima namque mensura principium. Nam quo primo cognoscimus, hoc est prima mensura cuiuslibet generis; principium cognoscibilis est quodlibet unum. Non idem autem in omnibus generibus unum. Hic quidem est enim diesis, illic autem vocalis aut consonans, gravitatis aut altitudinis, et motus aliquid alterum. Omne vero unum aut quantitate aut specie indivisibile. Secundum quantitatem quidem igitur et inquantum quantum indivisibile.

Hoc quidem ergo omnino et sine positione dicitur unitas, quod autem omnino et positionem habens punctum.

Quod autem secundum unum linea, quod vero secundum duo superficies, omnino vero et tripliciter divisibile secundum quantitatem corpus. Et conversim utique dualiter quidem divisibile superficies.

Omnino autem linea, nullatenus divisibile secundum quantitatem punctus et unitas; hec quidem non habens positionem unitas, illud vero habens positionem punctus.

Amplius autem hec quidem secundum numerum sunt unum, alia secundum speciem, alia secundum genus, alia secundum analogiam.

Numero quidem quorum materia una, specie vero quorum ratio una, genere quorum eadem figura predicationis, secundum proportionem quecumque se habent ut aliud ad aliud. Semper itaque posteriora precedentia sequuntur, ut quecumque numero et specie unum, quecumque vero specie non omnia numero, sed genere omnia.

Quecumque et specie, quecumque vero genere non omnia specie sed proportione.

Et quecumque unum proportione non omnia genere.

Palam autem et quod multa opposite dicentur uni. Nam alia non continua, alia in habendo materiam divisibilem secundum speciem aut primam aut ultimam, alia in